

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Albertus Willebrandt/ U.I.D.  
... Ad Exequias Quas ... Iuveni Johanni Schonero, Moestissimi Agnati & amici  
Hodie ... paratas cupiunt. Omnes Academiae Cives ... invitat**

Rostochii: Kilius, 1660

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777425718>

Druck    Freier  Zugang



Willebrandt, A.,

in

J. Schöner.

Rost. 1660.

30.







PROGRAMMA  
Quô  
RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
**ALBERTUS Willebrandt / U.I.D.**  
Coel: Prof. & Ducal. Consist: Assessor,  
  
AD EXEQVIAS  
Quas  
Eximio, Præstantissimoq; Juveni  
**JOHANNI**  
**SCHÖNERO,**  
Mœstissimi Agnati & amici  
Hodiè circà horam primam, in templo  
Jacobæo paratas cupiunt.  
Omnes Academiæ Cives, offi-  
ciosè atquè sedulò invitati.

---

ROSTOCHII,  
Typis Hæredum NICOLAI KILII, Acad.Typ. 1660.



RECTOR  
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS  
**ALBERTUS Willebrand/ U.I.D.**

**N**on ut diu, sed ut satis vivamus curandum est. Sat prolixa vita est si plena est. Impletur autem, quum quis sua voluntate in divinam plenissime transit, & quantulumcunq; temporis, quod datur, optimè impendit. Quid illum Octuaginta anni juvant, quos in flagitiis, in socordia turpiter traduxit? Non vixit iste, sed commoratus est. Nec serò mortuus est, sed diu: Nam cum imprudentiā ac impietate vivere, non tam est malè vivere, quam diu mori. Sed inquit octuaginta annis vixit. Interest, mortem ejus, ex quo diē numeres. Alius viridis,

viridis, & nondum in medio cursu rap-  
ptus est, sed officiis boni hominis, pien-  
tissimiq; Christiani defunctus fuit; & sic,  
licet ætas imperfecta fuerit, vitam tamen  
perfectam fuisse, quis dubitet? Ille alter  
Octuaginta, nonaginta, vel etiam cen-  
tum & plures numeraverit annos, certè  
tot annis non vixit, sed fuit; nisi forsan  
eum sic vixisse affirmes, uti arbores vi-  
vere, vitamq; suam vel in seculum exten-  
dere dicuntur. Actu, & virtutum exerci-  
tiis, vita, (juxta sapientes) est metienda,  
non tempore. Quemadmodum quippe,  
in minore corporis habitu, potest ho-  
mo esse perfectus; sic & in minore tem-  
poris modo, potest esse vita perfectissi-  
ma. Et bonum non est in temporis diu-  
turnitate, sed in virtute; Quam diu sis,  
alienum; quam diu probus, integerq;  
Christianus fueris, hoc tuum est. Prædi-  
cemus itaque & in numero felicium re-  
ponamus, Præstantissimum atque Exi-  
mum

mium Juvenem JOHANNEM SCHÖNERUM, qui quod vitæ habuit benè collo-  
cavit; qui non fuit in hâc vitâ, sed vixit;  
vixit ad immortalitatem satis, & in hoc  
unicum, per brevè licet tempus, impen-  
sissimè incubuit, nè ignobile ævum, per  
vitia varia emetiretur; ut vitam ageret,  
non ut prætervehheretur. Natus ille fuit  
honestissimis atq; integerrimis Majori-  
bus ac parentibus, Anno 1642. die 14.  
Februarii, inter duodecimam & pri-  
mam noctis horam; & quidem in Civi-  
tate Stralsundensi, Patre nimirum Excel-  
lentissimo, Experientissimo, Dn. JOHAN-  
NE SCHÖNERO, Doctore Medicinæ, &  
Academiæ Gryphisvaldensis Profes-  
sore celeberrimo, Sereniss. Regiæ Ma-  
jestatis Sveciæ, apud Pomeranicū Statum  
atq; Exercitum Medico. Matre verò, ad-  
huc superstite, ELISABETHA von STÄTTER;  
fœminei sex⁹ decore primariō. Avus pa-  
ternus illi fuit MARTINUS SCHÖNERUS Me-  
dicinæ

dicinæ Doctor, Serenissimæ Reginæ Angliae olim medicus præclarissimus. Avia autē paterna, Nobilissima & egregia mulier, LUCRETIA Bethans. Aviū Maternū agnovit Arend von Stätten Civem atq; holoserici, in Civitate Gryphisvaldensi, negotiatorē primarium. Aviā verò Maternam, ILSABE Papcken Matronam ingenuæ integritatis. Et tam honestis verò clarisq; prodijens, piè hic defunctus Juvenis, Majoribus, mox per lavacrum regenerationis, CHRISTI JESU membris associatus, summâq; curâ ac sollicitudine Parentum educatus, ab ipsis incunabulis, pietate, ac accedente paulò maturiore ætate, bonis literis, tum in publicâ scholâ, tum sub privatis præceptoribus, imbutus fuit, sedulamq; ipsis met operam, in parentum conspectu, navavit. Et cum non alium finem studiorum suorum sibi proposuerit, quām ut ipsâ non in vita fortunâ, DEO auspice, placidō quo-

dam

dam virtutum occursu, patriæ usui, Oibi honori,  
parentibus atque amicis auxilio esse posset; ad hoc  
Antiquissimum ac Nobilissimum Sapientiæ ac Vir-  
tutum Emporium, jussu voluntatequè paren-  
tum, semet, antē tempus aliquot contulit. Inquō  
per unius fermè anni spaciū, tantā hone-  
state ac probitate vitam traduxit, ut nullam-  
tum Magistratui, cum sibi æqualibus, tum aliis,  
creaverit unquam molestiam. Non bacheia in  
hacce nostrâ Universitate, sed Lyceja, non Mar-  
tem sed artes, non Venerem sed Musas & Gratias  
enixè, omni vitiorum cohorte, post se, longo in-  
tervallo relictâ, secessatus fuit, ita ut ad solidam bre-  
vi assurrexisset gloriâ, patriæq; summo gaudio, Pa-  
rentibus & amicis ornamento & voluptati fuisset;  
si sævâ mors, tām properò iectu, eum è numero vi-  
ventium non sustulisset. Verum nolens Deus  
OPTIMUS & SAPIENTISSIMUS, hunc pium juvenem  
diutius, in hoc calamitoso, totque flagitiis referto  
mundo commorari, malensque ipsum summet, veræ  
illius, æternæ, ac jucundissimæ vitæ, inter beatissi-  
mos spiritus participē reddere; ab ardentissimâ  
Febri, primâ die, præterlapsi hoc Anno, Julii, cuncte  
corripi, clementissimè permisit. Cujus vehemen-  
tia, cū nec salutarib⁹ remediis, ab Excellentiss. Dn.  
D. CASPARO MARCHIO, Med. Doctore & Pro-  
fessore suppeditatis, cedere omnino noller; pro-  
bissimus

bissimushic Juvenis, die 15. sui lethalis morbi, post-  
quam antehac præviâ devotissimâ peccatorum  
suorum confessione, corundem absolutionem,  
à Reverendo VERBI DEI MINISTRO. D.N. M.  
HENRICO MÜLLERO, ad Divæ Virginis Templum  
Ecclesiaste, Collegâque nostro delicto recepisset,  
ab illoque ipso, pretiosissimò & sacrosanctò Salva-  
toris nostri, Corpore & sanguine cibatus fuisset;  
placidissimè, ut mors somno simillima videretur,  
animam exhalavit, atquè solutâ hac corporis com-  
page, vitam illam æviternam, atquè ineffabilibus  
plenam deliciis auspicatus, sempiternæ atque ju-  
cundissimæ Cœlestium consuetudini semet im-  
miscuit. At quæc̄s̄ quot annorum explevit æta-  
tem? explevit fermè vivendo Octodecem annos  
ac septendecem hebdomadas. Sed quid quæris  
quam diu vixerit? vixit, transivit sæcula, & se in  
memoriam dedit. Vixit amplissimum vitæ spa-  
tium quia usque ad veram sapientiam vixit. Et  
in vitâ & in morte, voluit quod vult Deus; quæ est  
vera sapientia; quiquè ad illam perveniunt, quan-  
docunquè moriantur, attingunt non longissimum  
finem, sed maximum. E quorum numero fuit  
Optimæ Indolis S C H Ö' N E R U S, non quidem quod  
plurimum, sed quod, modestè, castè, tempe-  
ranter, comiter, sanctèquè vixerit, meritô com-  
medandus. Cujus exuviae celluri relictæ, cum ho-  
diè,

diē, ad horām primā, efferti ad tumulum, in Aede  
D. Jacobo sacrā præparatum debeant, Vos Cives  
Academiæ, officiosè ac amanter invito, ut illas co-  
mitari, supremumquè eis officiū humanitatis Chri-  
stianæ, vestrō frequenti confluxu exhibeat. Et in-  
terim ipsi met mecum, religiosâ mente perpenda-  
tis, Humanæ Vitæ prologum esse, Nasci. Narra-  
tionem DOLERE. Epilogum M O R I. Cogitatis  
Orationis hujus lumina esse gemitus & fletus, aut  
gaudiū fletu dēterius. Hoc deniq; omnes agamus,  
singulas scilicet horas amplectāmur, tanquam  
hodiē morituri; sic vitæ nostræ narrationem  
tractemus, tanquam statim peroraturi.

*Quippe dum differtur vitâ,  
transit.*

P. P. sub sigillo Rectoratus die 29. Augusti  
A. D. 1660.

Conventus fiet hodiē horā primā in  
Templo Diyi Jacobi.












Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn777425718/phys\\_0016](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn777425718/phys_0016)

DFG

bissimushic Juvenis, die 15. sui let  
quam antehac præviâ devotiss  
suorum confessione, eorundem  
à Reverendo VERBI DEI MI  
HENRICO MÜLLERO, ad Divæ V  
Ecclesiaste, Collegâque nostro  
ab illoque ipso, pretiosissimò &  
toris nostri, Corpore & sanguine  
placidissimè, ut mors somno sic  
animam exhalavit, atquè solutâ h  
page, vitam illam æviternam, ac  
plenam deliciis auspicatus, sem  
cundissimæ Cœlestium consue  
misiuit. At quæc̄s quot annor  
tem? explevit fermè vivendo O  
ac septendecem hebdomadas.  
quam diu vixerit? vixit, transivi  
memoriam dedit. Vixit amplius  
tum quia usque ad veram sapienti  
in vitâ & in morte, voluit quod v  
vera sapientiâ; quiquè ad illam po  
docunque moriantur, attingunt i  
finem, sed maximum. E quorū  
Optimæ Indolis S C H Ö' N E R U S, n  
plurimum, sed quod, modesto  
ranter, comiter, sanctèquè vixe  
medandus, Cujus exuvias telluri



the scale towards document

092

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No.